IOHANNIS WOLFGANGI TRIER,

CONSIL. REG. AUL. ET CODICIS P. P.

DE

FORMULA ACTIONIS HYPOTHECARIÆ

PROGRAMMA INAUGURALE,

SUMMIS IN JURE UTROQUE HONORIBUS,

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO,

JOHANNI HIERONYMO DE WEDIG,

ILLUSTRISSIMI ET SUMME REVERENDI COMITIS LYNARIÆ IN DYNASTIA LUBBENAVIENSI JUDICI AULICO ET REGIMINIS LUSAT. INFER. ADVOC. ORD.

MORE MAJORUM CONFERENDIS

PRÆMISSUM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRANCOFURTI AD VIADRUM,

Typis SIGISMUNDI GABRIEL. ALEX.

MDCCXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

DOctrinae Logicae in jurisprudentia inſignem uſum eſſe, cum jam ab aliis multis JCtis eſt oſtenſum, tum ex diſſertatione inaugurali Nobiliſſimi, Ampliſſimi & Conſultiſſimi JOHANNIS HIERONYMI DE WEDIG *de onere probandi negantibus incumbente* ſatis cognoſci poteſt. Cum vero examini publico, cui haec diſſertatio exponetur, illudque ſecuturae ſolennitati, qua ſummi in jure honores digniſſimo huic Candidato conferentur, praemittendum eſſet programma aliquod, recte me facturum putavi, ſi alio exemplo comprobarem utilitatem, quam diſciplinae noſtrae doctrina Logica affert.

Nota eſt ipſis tironibus controverſia jam dudum inter JCtos copioſe multisque ſubtilitatibus agitata, an, actione hypothecaria adverſus eum, ad quem dominium rei oppignoratae a debitore pervenit, ita agi poſſit, ut reus aut rem ipſam tradat aut pecuniam debitam ſolvat. Plerique id negant, cauſam allegantes, quod actor non aliud jus, niſi in rem, habeat, omni vero jure agendi in perſonam, utpote cum qua ei nullum interceſſit negotium, plane ſit deſtitutus. Atque haec opinio in animis multorum & judicum & advocatorum tam altas radices egit, ut quaſi tyrannidem quandam in foro exerceat. Doluit olim illuſtris JCtus, Dominus de BERGER, *Elect. Diſcept. for. pag. 1778.* recordatus cauſae, quae, cum per octo annos in judicio agitata & ad finem adducta eſſet, hoc experta eſt fatum, ut ex officio, ut ajunt, reus ab actione hypothecaria, pro eo, ut verbis concepta erat, abſolveretur hac ſententia lata: Daß Beklagter von der Klage, inmaſſen ſie angebracht, zu entbinden. Idem refert, illuſtrem Strykium quoque, litteris ad eum perſcriptis, graviter de ea re conqueſtum eſſe. Improbata vero & exploſa eſt hodie opinio illa in Electoratu Saxoniae. *Ordin. Proceſſ. noviſſ. tit. 5. §. 2.* Complures

plures

Digitized by Google

plures etiam praeſtantiſſimi JCti, inter quos eminent BERGERUS *Programm. ſubjecto Reſolutionibus Lauterbachianis litt. B.* &, qui JCtorum noſtri ſeculi decus eſt, LEYSERUS *Vol. 3. Specim. 224. Medit. 2.* nervoſe & luculenter monſtrarunt, eſſe illam aequitati & officio judicis & clariſſimis conſtitutionibus juris Imperatorii & Pontificii *L. 2. C. ſi unus ex plur. hered. & C. 5. X. de pignor.* penitus adverſam. Nolo argumenta, quibus illi uſi ſunt, exſcribere: ſed conſtitutum eſt mihi ad ea tantummodo paucos quaſi flores quosdam ex praeceptis Logicis decerptos ſpargere.

Primum opinio illa manifeſto pugnat cum iis, quae de praedicamento relationis Logici tradunt. Jus actoris & obligatio rei ſunt relata: quorum ea eſt natura, ut alterum ſine altero neque eſſe unquam neque intelligi poſſit. Certum vero eſt, electionem eſſe rei, malitne de pignore decedere, an pecuniam ſolvere. *L. 19. ff. qui pot. in pign. L. 12. in f. quib. mod. pign. vel hyp. ſolv.* Itaque jus etiam, quod actor habet, ejusdem naturae eſſe oportet, ut hic alterutrum perſequi non modo poſſit, ſed etiam debeat. Leve illud eſt, quod objicitur, reum actori neque ex conventione neque ex delicto obligatum eſſe. Nam ex aliis etiam cauſis obligationes naſci ſolent: & ſufficit, lege reo jus eligendi datum eſſe, quod ei invito adimi ab actore non poteſt. Agnovit hoc B. RIVINUS *t. 5. Enunc. 31.* quando ait: *ſi lex ipſa electionem tribuat reo, libellum citra ineptitudinem non niſi alternative concipi poſſe.* Cum quibus verbis quidem conciliari vix poſſunt ea, quae mox *Enunc. 33.* ſequuntur, & aliquot reſponſis JCtorum Saxonicorum confirmantur: *actione hypothecaria contra tertium poſſeſſorem inſtituta, petitum alternativum pro inepto haberi.*

Deinde formula petitionis, quam uſus fori approbat, *ut reus rem oppignoratam actori tradat, donec huic*

ſors

ſors cum uſuris reſtituatur, etſi propter inſertam particulam *donec* inter propoſitiones reſtrictivas referenda ſit, tamen vi ſua & re vera eſt propoſitio quaedam disjunctiva ſive alternativa. Nam eo ipſo, quod poſſeſſio creditoris ad tempus nondum ſecutae ſolutionis reſtringitur, ſeparatur ac disjungitur caſus, ſi id, quod debetur, ſolutum fuerit.

Denique qui Logicam, & quae ſit propoſitionum compoſitarum inter ſe affinitas, didicerunt, quanquam ad eam rem intelligendam ne quidem arte opus eſt, ii norunt, harum propoſitionum unam cum reliquis facillime plerumque commutari poſſe, manente ſemper eadem verborum ſententia. Ecce enim hae ſeptem propoſitiones, quarum prima a Philoſophis reſtrictiva, ſecunda exceptiva, tertia excluſiva, quarta copulativa, quinta conditionalis, ſexta comparativa, ſeptima disjunctiva appellatur, omnes eandem vim habent: *Poſſeſſione pignoris excides, donec debitum ſolveris. Amittes poſſeſſionem, niſi ſolveris. Unicum remedium tuendae poſſeſſionis habes ſolutionem. Non potes & ſolutionem recuſare & poſſeſſionem retinere. Si ſolves, relinquetur tibi poſſeſſio. Non habes plus juris in rem oppignoratam, ſicut nec plus obligationis habes, quam debitor, a quo ea res ad te pervenit. Aut de hypotheca decede, aut ſolve.* Pauca ſunt, quae de hoc argumento dixi: ſed plura dici non fert ratio inſtituti mei. Reliquam partem plagulae huic programmati deſtinatae recenſendis natalibus, ſtudiis & muneribus Candidati noſtri impendam.

Patriam habet Wittenbergam, multorum felicium ingeniorum matrem atque altricem, ubi pridie Cal. Novembres A. MDCCII. quo ipſo die ſacra ſecularia Academiae ante ducentos annos conditae ſolenniter celebrabantur, in lucem eſt editus. Pater ei fuit Vir maxime Reverendus, JOHANNES HIERONYMUS DE WEDIG, S. Theol. Licent. & Eccleſiae Maria-

nae Archidiaconus, mater CHRISTINA ELISABETHA ZIEGRA, matrona omnibus ſexus ſui virtutibus ornatiſſima. Avus paternus, THOMAS DE WEDIG, JCtus & Scabinatus Halenſis Senior, ex nobili & perantiqua Belgii Auſtriaci familia oriundus: avia paterna CATHARINA, filia JEREMIÆ REUSNERI, JCti, Anteceſſoris Wittenbergenſis primarii & Ordinarii. Avus maternus, CONSTANTINUS ZIEGRA, S. Theol. D. & Phyſicae in Academia Wittenbergenſi Profeſſor publicus ordinarius: avia materna, MARIA SOPHIA, VALENTINI DALICHOVII, Praetoris & Syndici ejusdem civitatis filia. Educatus eſt ſumma cura a piis parentibus &, qui ab his ei praeficiebantur, probis doctisque praeceptoribus domeſticis. Grandior natu factus, mortuis jam parentibus, ſuaſu tutoris non modo privata inſtitutione, ſed etiam publica Rectoris Scholae patriae KRANEWITTERI & Conrectoris WAGENERI uſus eſt: quorum fides atque induſtria multum ei profuit. Biennium quoque humanioribus aliisque optimis ſtudiis impendit in celebri Schola Grimmenſi: ubi ductu praeclarorum Virorum, ERMELII, SCHUMACHERI, EGENOLFI & JACOBI eos progreſſus fecit, ut, cum vix dum annos natus eſſet ſedecim, ad Academica ſtudia tranſire poſſet. Reverſus igitur A. MDCCXVIII. in Academiam patriam, ibique in tabulas civium litteratorum relatus, hanc antiquiſſimam ſibi curam habendam duxit, ut in litteris humanioribus bene ſe firmaret, & diſciplinis philoſophicis ſtudioſe animum excoleret. Itaque ſcholis viri omni elegantioris eruditionis genere inſtructiſſimi, BERGERI, &, qui eo tempore philoſophiam magno audientium applauſu docebat, WOLFII Lipſienſis aſſidue interfuit. Deinceps totum ſe jurisprudentiae dedit, diligensque auditor fuit celeberrimorum JCtorum, DOMINI DE WERNHER, BASTINELLERI &, cujus ſingularem in ſe benevolentiam inprimis praedicat, MENKENII, item BERGERI JUNIORIS, KRAUSII, aliorumque: quibus

Digitized by Google

quibus omnibus plurimum ſe debere profitetur, eorumque in docendo dexteritatem ac fidem grato animo agnoſcit. Halenſem quoque & Jenenſem Academias adiit, ſed propter varia impedimenta paucos tantum menſes ibi verſari potuit: quo tempore praecipuorum JCtorum, & inprimis Halae THOMASII & BOEHMERI praelectiones audivit. Confecto ſtudiorum Academicorum curriculo, in forum prodituris, non tantum ſub praeſidio Viri Perilluſtris, JOHANNIS BALTHASARIS L. B. DE WERNHER, tunc Potentiſſimi Regis Poloniarum & Electoris Saxoniae Conſiliarii Aulae & Juſtitiae, Ordinisque Juridici in Academia Wittenbergenſi Ordinarii, nunc S. Caeſareae Majeſtatis in Senatu Imperii Aulico Conſiliarii, A. MDCCXXI. diſſertationem *de actione de recepto aliisque juris capitibus* publice defendit, ſed etiam anno ſequenti examini legitimo, quod ſubeundum eſt ab iis, qui cauſas in foro orare volunt, ſeſe ſtitit, & ſpecimen practicum, quod vocant, edidit: quibus peractis, albo Advocatorum inſcriptus eſt. Ab eo tempore per ſeptem annos in patria cauſis agendis operam dedit, juvenes etiam nonnullos privatim jurisprudentiae ſtudiis inſtituit. A. MDCCXXIX. ab Illuſtriſſimo & Summe Reverendo MAURITIO CAROLO, COMITE LYNARIÆ, Dynaſtiae Lubbenavienſis aliarumque clientelarum Domino, Potentiſſimi Sarmatarum Regis & Saxoniae Electoris Conſiliario ſtatus intimo, & ſupremo rei veredariae Magiſtro, Sereniſſimo etiam Duci Saxoniae Merſeburgenſi a Conſiliis ſanctioribus, ſupremique in Marchionatu Luſatiae inferiore Regiminis Praeſide, Ordinis Johannitici Equite ac deſignato Commendatore Werbenſi, in Dynaſtiam Lubbenavienſem evocatus, ibique Judicio Aulico praefectus, & paullo poſt ab Illuſtri Provinciae Regimine ordini Advocatorum adſcriptus eſt. Cum vero ante aliquod tempus a Reverendiſſimo ac Sereniſſimo Principe, HENRICO, DUCE SAXONIÆ

MERSE-

Digitized by Google

MERSEBURGENSI ſpes ei clementiſſime data ſit muneris Aſſeſſoris in Judicio Provinciali Luſatiae inferioris conſequendi, ea lege, ut ſummos in jure honores capeſſeret, petiit ab Ordine noſtro, ut honores hos ipſi, ſi dignum judicaſſemus, conferremus. Nos, etſi de eruditione & dexteritate ejus dubitare non poteramus, tamen ex praeſcripto ſtatutorum noſtrorum accurate eum examinavimus per omnes jurisprudentiae partes binis ſolennibus examinibus: in quibus egregiam ejus & ſingularem in juris diſciplina rebusque forenſibus ſcientiam abunde perſpeximus, & talem omnino eum eſſe re ipſa experti ſumus, qualem & Sereniſſimus Princeps & Illuſtriſſimus Comes judicaverant. Omnes igitur eum honoribus, quos petierat, digniſſimum exiſtimavimus. Proximo die Martis diſſertationem ſuam inauguralem publice in auditorio JCtorum tuebitur: nosque certi ſumus, eos, qui praeſentes ibi erunt, ſatis cognituros, veriſſimum eſſe teſtimonium, quod Ordo noſter Candidato huic doctiſſimo impertivit.

Praeſtitis vero ita ab eo omnibus, quae praeſtanda fuerunt, deinceps ego, Prodecanus ad hunc actum conſtitutus, autoritate Imperatoria & Regia ſummos in jure utroque honores & omnia, quae cum iis conjuncta ſunt, privilegia more majorum ei conferam. Vos vero, *Rector Academiae Magnifice, utriusque Reipublicae Proceres Ampliſſimi, Juvenesque optimarum ſcientiarum cultores Generoſiſſimi atque Ornatiſſimi*, humaniſſime rogo, ut diſputationi ſolenniter habendae frequentes intereſſe velitis: quam benevolentiam Veſtram non ſolum Conſultiſſimus Candidatus, ſed etiam Ordo noſter grato ſemper animo agnoſcet. P. P. Francofurti ad Viadrum d. XXVI. Jul. MDCCXXXVIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google